

1763. MENSE MARTIO. ZAGRABIAE.

Articuli Generalis, A. 1763. 11. et sequentibus Mensis Martii diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali Eorundem, ex edicto et sub praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, praefatorum Regnorum Bani, eorundemque Regnorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Ordinis Militaris Regio-Theresiani majoris Crucis Equitis, Sacrae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Consiliarii Actualis Intimi, Camerarii, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Generalis Campi Mareschalli, Comitatum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Tabulae Banalis Praesidis, pro 11. et sequentibus Mensis Martii diebus Anno 1763, Zagrabiae, celebrata Congregatione, conclusi.

Articulus Primus.

De muniendis ternis Praesidiis Confiniariis.

Posteaquam relata fuissent Dominis Statibus et Ordinibus ea, quae in Conferentia, Anno recens evoluto 1762. die 21. Mensis Decembris Zagrabiae sub Praesidio Suae Excellentiae Banalis celebrata, intuitu muniendorum adversus irruptionem Turcicam nonnullorum praesidiorum, uti et parandorum quorumpiam pro Casu irrupturi belli turcici necessariorum subsidiorum, acta et conclusa fuerunt; determinationes ejusmodi Conferentiales, velut ab approbatione totius Regni robur et valorem suum habere debentes, pensiculatus secum reputantes Domini SS. et OO., unanimi voto decreverunt: easdem, tum quod periculosae illae belli Turcici Circumstantiae in partem Favorabiliorem medio tempore mutatae majorem Regnis quoque his polliceantur securitatem, tum, quod propter subversans nefors eorum in mora periculum Festinato Consilio determinata subsidia, re penitus cognita Capacitatem DD. SS. et OO. omnimode excedere comperirentur, acceptari atque in effectum deduci nulla prorsus ratione posse, atque ideo omne exinde in praejudicium Regni hujus nefors deducibile praejudicium evitare cupientes Domini Status et Ordines in eo postremo conquieverunt: ut cum Notabilia robora aliaque nonnulla Materialia jam hactenus desecta et praemisum in finem praeparata forent, quo talis qualis eorum usus capi possit, ut inquam eadem in ternorum Praesidiorum in Confiniis existentium, hoc est Stationum Szlabina, Ded et Pedel, velut finitimorum et irruptioni vicini hostis magis expositorum Locorum reparationem aliquam convertantur, huncque in finem duo Processus ex Comitatu Zagrabienzi, Cheglianus utpote et Chehianus, ex Comitatu vero Crisiensi Dominium Montis Claudij ea ratione assummantur, ut sive ad Pallasatarum elaborationem atque devectionem (in quantum adhuc necessariae forent) requisitas vecturas suppeditare, sive ad erigenda Fossata et